ELOGIA SEX SANCTORUM PATRUM PRIMUM EDITA OCTAVIO FERRARIO...

Ottavio Ferrari

ELOGIA

SEX

SANCTORUM PATRUM

PRIMUM EDITA

OCTAVIO FERRARIO

AUCTORE

VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA I. B. MERLO

MDCCCXLII.

IO . BAPT . BERNARDI

MESTRENSI . ARCHIPRESBYTERO

DOCTRINA . REFVLGENTI

POST . DIVTVRNOS . LABORES

PRO . ANIMARVM . SALVTE

AD . HONOREM . CANONICATVS

ECCLESIAE . CATHEDRALIS . TARVISINAE

MERITO . EVECTO

PAROCHI . CONGREGATIONIS

S . STEPHANI . DE . MARTELACO

EIVS . SODALES

VENERABVNDI . ET . OVANTES

HAEC . SANCTORVM . PATRVM . ELOGIA

OFFERVNT

D. ATHANASIUS.

Serpenti latius impietati lymphatisque in religionem christianam furiis Praepotens Deus Athanasium obiecit, qui efferatam Haereticorum rabiem per tot casus et pericula reprimeret, trium Imperatorum furore divinitus eluso. Sane veterum Patrum nullus fere tot pertulit, tot aerumnis est obiectus. Arianorum insidiis, cum quîs implacabilem animum gessit, semper appetitus, conspirat. erectus, saepissime quaesitus ad necem, continuo mutare latebras coactus.

Incredibile memoratu est quo furore Ariani in creatum Alexandriae Episcopum coorti sint, quasq. calumnias apud Constantinum commenti. Recisum Tiri corpori humano brachium ad artes magicas: violatos hospitis thoros. Qua accusatione apertissime depulsa, nihilominus interventu Archelai intercessum est, ne impiorum manibus discerperetur, obstructis etiam magni Constantini auribus ut ab eodem solum vertere iuberetur. Post revocatus ut iterum fugam circumspiceret, utque nusquam tutus alternis abiret, rediretque quodam calamitatum ae-

stu exiliique unius finis alterius principium esset. Ut postremo in hypogeum abditus sex annos diris tenebris aeterna luce digna opera scripsisse perhibetur.

Ex ferali crypta cum ad Constantem confugisset, eius precibus Constantio conciliatus Ecclesiam resumit ex qua toties evectus fuerat, ut redeunte ad ingenium Constantio, rursus fugam maturaret. Nam, coacto trecentorum Patrum Mediolani Concilio, tam ille quam qui rectum religionis sensum haberent, eiecti ac deportati sunt; Idque miseriarum naufragium infesto etiam Juliano transegit, ac modica Ioviani luce, relapsus in tenebras quatuor menses sub Valentiniano prius sepultus quam mortuus capulum incoluit. Horror animum invadit cogitanti potuisse hominem unum hanc letho proximam vitam per tot pericula usque ad extremam senectutem deducere nonnisi fuga ac terroribus exercitam. Subitque divinam venerari bonitatem, quae virum religioni pernecessarium contra Orbem universum imperiique vim omnem sit tutata. Certe, libris de Trinitate conscriptis, in ipsa Divinitatis sacraria inductus videtur, captumque ingenii humani excessisse. Collato cum perduellibus pede, simplicibus verbis omnium lenocinio abdicato depreliatur. Eius scripta Petrus Nannius felicissime latino sermone reddidit, rem plenam difficultatis, ut

ipse praefatur, tum argumenti magnitudine, tum peculiari scribendi ratione, vocibusque saeculo illo usitatis, quae res magnos aliosque viros suspendere animum coegerat.

D. BASILIUS MAGNUS.

Graecia magnis viris semper foeta, non habuit cui aequius quam Basilio *Magni* cognomen imponeret: tantum decoris in eo viro fuit, tantum sapientiae, tam exquisita politiorum literarum cognitio. Studiorum morumque similitudine sanguine arctiora familiaritatis iura cum Gregorio Nazianzeno connexerat, eaque aetas tulisse alterum Pithagoreum par visa est. Ita enata Caesareae cum Eusebio Episcopo offensiuncula, ad Gregorium Basilius divertit in Peneum.

Sed civitas discessum eius impatienter tulit, atque Episcopo obirata, quod causa voluntarii exilii Basilio fuisset, iam non occulta seditione ab Capite desciscebat, nisi in tempore Basilius sedasset has turbas. Nam privatas offensiones publicae utilitati largitus, ultro urbem repetens, bona fide cum Eusebio in gratiam rediit. Nec multo post eidem in Pontificatu suffectus, solemni eorum temporum libertate, infestos religioni Valentis conatus retudit donec resipisceret.

Tam impense amatum a populo Nazianzenum scribit, ut insecuti Episcopi cultus habitusque, eius imitatione, consueverint civium favorem promereri. Cum inedia ac perpetuis vigiliis, barbaque prolixe submissa venerabile illud os asperatum sacro horrori contuentibus esset. Scripta eius haud dubie Haereticos iugularunt magnaque eloquentia populares Allocutiones sunt conscriptae.

Decessit octogenario maior, clarus etiam relicta religiosorum familia, quae ut ceterae laudabili initio aevi labem postmodum sensit.

D. CYPRIANUS ATHENIENSIS.

D. Cypriani celebre ingenium fuit etiam antequam religioni nostrae grande momentum accederet. Nam tanta eloquentiae gloria fuit, ut artem Oratoriam Carthagini publice doceret. Ubi ingenii famam facundiae flosculis ac pompa sectantem Caecilius Presbyter maximo beneficio ad nos traduxit, simulque ad graviorem et modestiorem eloquentiam vocavit. Initiatus inde ut ad Episcopatum evectus, quodque his temporibus honores consequebatur, statim proscriptus, biennii secessu eas turbas vitavit. Postquam decem annis Episcopatus munia singulari sapientia ac dignitate exercuit, donec so-

lemni ejus aetatis more profuso sanguine religionis primordia sanciret.

Fuisse illi in deliciis Tertullianum manifeste apparet, quem et magistrum appellitare solitum, nec ullam diem sine eius lectione praeteriisse ferunt. Nullus ferme clariora veterum Patrum elogia tulit, a sanctissimis viris ac Religionis nostrae Principibus cumulatus iustissimis laudibus. Nam Orationes eius purissimi fontis instar fluere placide Hieronymus scripsit, eiusque monumenta solis luce clariora esse certatus est. Lactantius ingenio facili, copioso, suavi et aperto fuisse, ut dubitari possit, fuerit ne ornatior in eloquendo, an in explicando facilior, an validior in suadendo.

D. GREGORIUS NAZIANZENUS.

Incomparabili rerum divinarum scientia nulli antea Graecorum ac Latinorum concessum decus Gregorius Nazianzenus meruit, ut Theologus appellaretur. Is pietatem cum reliquis fortunae bonis hereditario iure obtinuerat. Nam pater, extincta uxore religiosissima femina, sacris initiatus, Nazianzi Episcopus creatus est. Adolescens antiquos philosophos imitatus studio indagandae sapientiae plures adiit urbes, ut et sapientum contubernio frueretur, et honesta peregrinatione acquireret rerum

usum. Athenis, ut dictum est, inita cum Basilio magno societate, toties repetita Graecis amicitiae miracula obscuravit. Atque illa aetatis ac studiorum licentia nihil sanctius duobus adolescentibus fuit. Et Gregorio quidem per quietem spectandum se Christus Dominus exhibuit, illibatae pudicitiae merito, omnes foedos animi motus medica manu compescuit.

Inter haec pater desiderio impatiens ad se filium avocavit, ac diu modestia respuentem sacerdotii insignibus inaugurat. Nec multo post cum Ariana tabes magnam mortalium partem venenis suis infecisset, Catholici Episcopi pars exilio, pars contumeliis ac suppliciis foedum in modum vexarentur, ex moerore animi Gregorii pater contabuit filii eloquentia in funere honestatus. Qui ne parenti in Pontificatu sufficeretur, propere in Seleuciam abiit, mox Constantinopolim ad Basilium contendit, ut una religionis perduelles debellaret. Nec potuit destinatus superum nutu Pontificatum subterfugere, reversusque in Patriam, eius insignia capessit. Utque erat honorum fugitans, cum Episcopus alius ab turbulentis obtruderetur, sponte secessit e medio ac nefariis Apollinaris conatibus est obluctatus. Jamque extrema aetate cum alii munus demandasset, totus literis incubuit, quibus praecipue exagitasse Iulianum videtur, explanatisque prophetis, quaedam

etiam carmine complexus, adamasse se in adolescentia Poesim ostendit. Sane discipulus eius Hieronymus ad triginta versuum millia ab eo scripta testatur.

D. GREGORIUS MAGNUS.

Multa fuere quae Pontificem Gregorium honestissima *Magni* appellatione, quam Basilio Graecia indiderat, merito insignirent; sed praecipue studium singulare tuendae propagandaeque religionis, honesta in egenos largitio, pietas in Patriam Orbemque universum singularis.

Nam partim scriptis, partim auspitiis magnam mortalium partem ad Ecclesiae gremium vocavit. Tum immensas opes sacris substructionibus, ac levandae egestati effudit: postremo ab urbe barbaros et pestilentiam malorum durius depulit.

Cum patriis in aedibus, quas in templum piorumque sedem converterat, honores fugitans delitesceret, Imperio dignus visus est. Ergo Cleri populique romani suffragiis renuens in summo rerum fastigio collocatur. Primum Principatus decus, receptis sub nomen Christianum Anglis, religionis pomaerium produxisse, quod scriptis ac consilio optime promovit.

Munificentia inde ac liberalitate ostendit id unum esse Principem agere. Vastabat per id tempus

Italiam Urbemque foedissima lues, nec ulla humana opera comprimi tabes poterat. Indixit Pontifex supplicationes, iramque Dei, reddita salubritate, exoravit. Quod exemplum secuta posteritas, deploratis calamitatibus, ultricisque Iustitiae poenis remedium invenit.

Etiam celebre eius institutum Ecclesia servat, quo ut mortales ad sacra frequentanda pertraheret, animosque attentius ad res divinas vocaret, Musicum melos sacris ac symphonias adhibuit.

D. IOANNES CHRYSOSTOMUS.

In Ioanne, cui ab aurea facundia *Chrysostomi* inditum est nomen, informando atque erudiendo maximi viri conspirarunt: Libanius sophista, Andragathus, Diodorus Tarsensis. Sed ille eximiam indolem ad studia attulerat, qua cum Athenis literarum causa moraretur, adeo sibi Urbis eius Episcopum devinxit, ut redeuntem in patriam frustra successionis spe retinere eum sit conatus.

At superis alio vocantibus, Antiochiam repetens statuit ab Republica procul aevum exigere ac soli sacrarum rerum interpretationi vacare. Eo in angulo strenue musis litantem haud passus diutius inglorium desidere Meletius Episcopus, sacris initiatum sacris concionibus admovit; hocque illi Pontifica-

tus adiumentum fuit: nam haud ita multo post Urbs Orientis Domina Byzantium ad Episcopatum expetiit, et, quae eorum temporum modestia fuit, iniecit reluctanti insignia.

Ab populi sacrorumque hominum censura orsus, cum flagitii coopertos exauctoratos loco moveret, facile malorum offensiones incurrit. Stetit illi nihilominus dignitas tutante eum pertinaciter populo: donec tracta est in partes Eudoxia imperatrix, quasi Ioannes obscura quaedam de cultu eius luxuque iecisset: hucque, muliercula adnitente, plurium Episcoporum conciliabulo iussus est dignitatem abdicare. Sed minus videri debet tantam illi aut constantiam, aut in plebe fiduciam, ut et minus insuper haberet, et periculoso exemplo argueret palam Eudoxiam adrogantiae.

Non tulere obiurgationem aures superbae, atque inde intuta omnia Chrysostomo erant, donec insons in exilium pelleretur, venerabili caesarie barbaque per summam ignominiam derasa.

Vix locum exilii attigerat cum coelestem in patriam vocatus est.